

viris¹⁾, quorum laudes describebantur fabula sive historia. Fabula²⁾ dicitur a fando, eo quod in dictis tantum, non in factis constet. Omnis fabula aut est Esopica aut est Libistica. Esopica est, ubi muta finguntur inter se sermocinantia. Libistica est, ubi cum animalibus locuntur animalia aut causa dilectionis aut instruendi mores fingitur, sub quibus veritas sepius³⁾ plerumque occultitur. Historia dicitur res gesta a memoria hominum remota, dicta apo tu historén³⁾, id est videre solos; solis enim videntibus rem fieri scribere licebat. Huius species sunt quattuor⁴⁾: Cottidiana, Kalendaria, Cronica, Argumentum. Cottidiana que cottidie fiebant, Kalendaria ubi per kalendas totus adnotatur annus, Cronica ubi quod multo tempore fiebat describebatur, Argumentum quodammodo res dicta, quod potest fieri ut in Comediis. Est autem Argumentum secundum dialecticos dubie rei faciens fidem. Tres etiam aiunt esse stilos orationis sive carminis: humilem, mediocrem, grandiloquum⁵⁾. Humilem ut in Bucolicis, mediocrem ut in Georicis, grandiloquum ut in Eneidós. Super hoc querunt, ut non omnes auctores faciant⁶⁾ prefacionem et invocationem. Est autem prefacio primi libri pars, qua breviter totius operis prelibatur materia ut in Lucano: *Bella per Emathios plus quam civilia campos*⁶⁾. Invocatio est cum numen aliquod vel singularis potestas invocatur ut in Virgilio: *Musa mihi causas memora, quo numine^{c)} leso⁷⁾*.

Numerus librorum, quot sint, ut quantitate operis valentia commendetur auctoris.

Ordo librorum utrum sit naturalis sive artificiosus, id est commixtus. Naturalis est, quando res scribitur uti gesta est, ut in Lucano. Artificiosus, quando partim ea in medio interponuntur, que in fine dicenda sunt, ut in Virgilio, qui prius scribit naufragium Eneæ quam excidium Troiæ, cum tamen prius Troia^{d)} destructa sit.

Explanatio quomodo legendum vel intelligendum sit aperitur, utrum sit Euroticum, id est amatorium ut Ovidiani, aut Dicticon aut Misticon aut Tragicum, id est enarrativum, aut Didascalicum. Est autem

a) von der Texthand übergeschrieben. b) zweites a von der Texthand aus u korr. c) u von der Texthand aus o korr. d) auf Rasur von Ilion oder Ilium.

1) Vgl. Isidor. I, 39, 9.

2) Vgl. ebd. I, 40, 1—3 auch für das Folgende.

3) ἀπὸ τοῦ ἱστορεῖν; vgl. Isidor. I, 41, 1.

4) Vgl. ebd. I, 44 auch für das Folgende.

5) Vgl. hierzu L. Arbusow, *Colores rhetorici* (1948) S. 15—17.

6) Lucan., *Pharsalia* 1, 1.

7) Vergil., *Aeneis* 1, 8.